



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 107. Contentio Ludovici de Seresanello, & Petra sancta arcibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A. C. 1494.

dejicere, quod subloni columnæ marmoreæ innixum Florentini Dominatus indicium erat. Hanc ergo sublatam in flumen projiciunt, illique equestrem substituant statuam, quæ Galliarum Regis gladium manu gestantis, ac sub equi sui pedibus leonem prementis effigiem exhibebat. Ast Regem nimixæ facilitatis suæ poenitentiam subiisse videtur, eoquod Portum - firmum munitissimam Pisanorum arcem præsidis suis munitam tenuisset, & Magistratus, quos Florentini ibidem instituerant, confirmasset, dato illis etiam negotio, ut regiminis forma nihil immutata, pro more jurisdictionem suam exercerent.

§. CVII.

Contentio Ludovici de Serefanello, & Petrasancta arcibus.

Sub idem tempus Ludovicus a Carolo Rege in jure status Genuensis confirmabatur, iisdem omnino conditionibus, sub quibus Galeatius ejus frater olim inauguratus erat. His Ludovicus minime contentus, porrecto prolixiore libello Serefanellum, & Petrasanctam sibi reddi, Regem exorat, eoquod ambæ arces avito jure Genuensium dominio subditæ, a Florentinis, ut exponebat ipse, usurpatæ fuissent. Ast Carolus eas restitui negabat,

gabat, caussatus, se nuperrime foedus in-
 iisse, eoque fidem suam obstrinxisse, quod
 mox Neapoli expugnata, utramque ar-
 cem nulli alteri, quam hodierno ejus
 possessori redditurus foret. Ad hæc re-
 spondit Ludovicus, eodem foedere Pisa-
 nos quoque comprehendendi, quibus tamen
 Rex libertatem mox concessisset: Ast
 Carolus Duci in responsis dabat, quod a-
 deo non hac agendi ratione Florentinæ
 Reipublicæ jura violasset, ut etiam velut
 obsidem tenuisset Pisanorum arcem, ean-
 dem cum ceteris Urbibus quantocius Flo-
 rentinis redditurus, quamprimum Galli-
 ci exercitus securitas haud ultra illarum
 possessionem exposcere videretur. Di-
 splicuit Ludovico Regis responsum; spe-
 rabat enim, se occupatis ambabus hi-
 sce arcibus facili negotio Pisas quoque
 in ditionem suam redacturum, ac demum,
 quantum viribus valeret, Neapolitani
 Regni expugnationem præpediturum.

§. CVIII.

*Petrus de Medicis Florentia
 profugus.*

Verum rei exequendæ difficultas plu-
 rimum augebatur foedere, quod Ca-
 rolus Rex cum Petro Medicæo pepi-
 gerat; vi hujus enim ferme Princeps erat
 ditionis Florentinæ, eaque occupata ut-
 pote

Sæcul. XV.

A.C. 1494.

Comm. l. 7.
c. 8.